

*meum est* (utique per liberam meam determinationem), *sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum; quia Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere.*

Neque amplius probant quæ ex commentariis ejusdem Hieronymi super ad Ephes. secundo adducuntur: *Addidit itaque, et dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris. Non quod liberum homini tollatur arbitrium, et secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Verum quod ipsa arbitrii libertas Deum habeat auctorem, et ad illius beneficium cuncta referantur.* Quæ verba præcisa refert auctor ille. Quæ etiam sic sumpta nihil illum juvant; quis enim negat fidem esse beneficium singulare Dei et ex ejus munere? Omittit tamen unum verbum, quo clausulam illam concludit, Hieronymus, valde contra illam prædeterminationem notandum: *Ad illius* (inquit) *beneficium cuncta referantur, cum etiam ipsum nos velle ipse permiserit.* Expendendum enim est verbum *permiserit*, quod extreme differt a verbo *prædeterminaverit*, quo usus fuisset si aliorum auctorum sententiam probasset. Non est tamen accipiendum in eo rigore in quo dicitur Deus peccatum permittere, quia peccatum non intendit, neque ad illud excitat, quod in bonis actibus præstat. Utitur ergo Hieronymus verbo permittendi, solum ad significandam indifferentiam voluntatis, cui relinquit Deus indifferentem potestatem ad bonum operandum vel resistendum, non obstante quacunque prævia motione; hæc enim indifferentia proprie significatur per verbum permittendi, quando non excludit causalitatem, sed illam supponit et modificat, ac declarat non esse talem quæ indifferentiam tollat. Præterea, proxime ante illa verba declarat Hieronymus fidem non esse ex nobis, quia est ex vocatione. In quo significat gratiam antecedentem ad fidem, et inducentem voluntatem ad illam, non esse prædeterminationem, sed vocationem.

*Alius locus Hieronymi.* — Additur præterea alius locus ejusdem Hieronymi in cap. 24 Jeremiæ, circa finem: *Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dominus. Illi simile est Apostolico: Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere, quod non solum opera, sed voluntas nostra Dei nitatur auxilio;* et iterum cap. 26, circa principium: *In nostra quidem potestate positum est facere quid, et non facere, ita duntaxat ut quidquid boni operis volumus, appeti-*

*mus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui juxta Apostolum dedit nobis velle et perficere.* Sed hæc generalia sunt et certa secundum fidem in omni sententia. Immerito ergo afferuntur in favorem physice prædeterminationis, cum sine illa detur verum Dei auxilium, quo bona opera nostra nitantur, et vera Dei gratia excitans et adjuvans, cui tribuantur.

*Clemens Romanus.* — Ultimo, affert dictus auctor Clementem Romanum, libr. 3 Recognitionum, aliquantulum a principio, ubi proponit argumentum Simonis Magi contra liberum arbitrium: *Quod Deus vult esse, est, et quod non vult esse, non est; ergo nullum est liberum arbitrium. Si enim efficaciter a Deo movetur, necessitatur; voluntati enim ejus quis resistet?* In quo argumento solum priora verba, quæ ponuntur in antecedente, habentur apud Clementem, cætera vero addita sunt ab illo auctore, qui, late referens responsionem Petri, quæ in summa est, duplices esse motus creaturarum, quosdam necessarios, qui aliter esse non possunt; alios voluntarios, qui sunt in potestate operantis; et ideo errare Simonem non distinguendo solummodo Deus aliquid velit; quia quædam voluit ita esse, ut aliud esse non possint; quædam vero ita voluit, ut in sua potestate habeant agere quod velint; subjungit autem dictus auctor, *non obscure docere Petrum quod, per hoc quod Deus voluntatem hominis efficacissime movet, nullam infert vim, nullam necessitatem imponit, sed eam pro suæ naturæ conditione sinit libere operari.*

Sed ut omittam opus illud incertæ esse auctoritatis, certe qualiscumque illa sit, tota est in favorem nostræ sententiæ. Nam ibi definit de ratione liberi arbitrii esse, *ut potestatem et virtutem habeat, qua possit ad quos velit actus inclinari.* Et sæpissime ibi repetit esse in potestate hominis ad hanc vel illam partem se movere, alias periret judicium, et omnis poena vel præmium. Deinde nunquam Petrus ibi dixit Deum voluntatem hominis efficacissime movere, sed potius dixit ita velle Deum hominem esse, seu habere voluntatem, ut etiam voluerit quod in sua potestate habeat agere quod velit; cui voluntati repugnat illa efficacissima motio, quam ille auctor nobis persuadere intendit. Quanquam enim vera sit illa generalis doctrina, quod Deus movet causas secundas accommodatæ, scilicet, necessarias necessario, et liberas libere, ex illa potius infertur Deum non movere causas liberas physice eas prædeterminando. Et ideo Petrus,

in citato loco, nullo modo insinuavit genus talis efficacitæ, imo indicavit Deum non absolute voluisse ut sint actus liberi, voluntate præveniente, sed solum voluisse ut sint in potestate hominis, et ut actus fiant si homo velit. Loquitur enim ibi juxta subjectam materiam de voluntate Dei necessaria ad generalem providentiam et concursum cum causis secundis; de motionibus autem gratiæ nihil in eo loco dicit, quia ad disputationem cum Simone Mago non intererat.

## CAPUT XXXIX.

CONFERUNTUR TESTIMONIA PATRUM AUGUSTINO POSTERIORUM, QUÆ AB UTRIVSQUE SENTENTIÆ PATRONIS AFFERUNTUR.

In hoc capite nondum de Patribus qui inter scholasticos annumerantur tractamus, sed de aliis sanctis Doctoribus qui de mysteriis fidei, vel disputando cum hæreticis, vel exponendo Scripturam, vel alio modo scripserunt. Ex illis ergo afferuntur, ad suadendam physice determinationem eorum auctoritate, Prosper, Fulgentius, Gregorius, Anselmus, Bernardus, quibus annumerare etiam possumus Ansbertum et Abulensem, nam eis etiam hæc sententia tribuitur. Sunt autem omnes hi Patres Latini; ex Græcis vero Augustino recentioribus nullum invenio pro hac sententia citatum. Ego vero, in lib. 1 de Auxiliis, cap. 9, primum omnium attuli pro nostra sententia Damascenum, libr. 1 de Fide, cap. 18, et lib. 2, cap. 29, generaliter docentem Deum non prædefinire actus liberos, quod non potest habere alium sensum Catholicum et verum, nisi quod non prædefiniat determinando efficaciter ac physice voluntatem ad illos. Nam, licet D. Thomas 1, quæst. 23, artic. 1, ad primum, exponat Damascenum, ut loquatur de prædefinitione, quæ vim seu necessitatem afferat, tamen in idem redit, quia non aliud est necessitatem inferre quam inferre determinationem ad unam partem et ad exercitium actus; inferre (inquam) illam causaliter et antecedenter per solam efficaciam extrinsecam, voluntate solum passive se habente ad recipiendam talem determinationem. Quæ enim major necessitatio (ut sic dicam) excogitari posset ex parte Dei, etiamsi fingeretur prædefinire liberos actus modo illo negato a Damasceno, et a D. Thoma sic explicato. Ex Patribus vero Latinis, adduxi in favorem meum, tum ibi, tum in lib. 2 et 3, eosdem fere Patres quos adversarii pro se allegant. Discurramus

ergo per singulos, et formalia verba quæ ipsi referunt expendamus, eaque cum his quæ nos magis movent conferamus, ut ita possit lector non obscure judicare quis in allegandis his Patribus, vel nimio affectu, vel minori diligentia aut fidelitate usus fuerit.

*Prosper.* — Principio igitur refertur Prosper contra Collatorem, c. 5, ut Davila refert; qui priusquam verba Prosperi ponat, hæc ipse de suo interponit: *Præcipue successit negotium adversus Collatorem, qui ex parte horum Theologorum tenuit sententiam, volens quosdam homines suam incipere conversionem, Deum autem prosequi et perficere. Contra quam sententiam sic procedit D. Prosper.* Ex quo præludio constat, quidquid ad hoc propositum ex Prospero affert, nec contra nos adduci, nec ad rem. Non quidem contra nos, quia toto celo distamus a sententia Cassiani circa initium gratiæ; non etiam ad rem, quia nos disputamus non de initio gratiæ an sit a solo libero arbitrio, necne; sed an determinatio liberi arbitrii ad consentiendum gratiæ, quæ jam in homine operari incipit, sit a libero arbitrio, non solo, sed cooperante Deo, vel sit a solo Deo. Quas quæstiones esse longe diversas, et hanc secundam non habere connexionem cum prima, late in superioribus ostensum est. Cum autem ille auctor statim in initio fateatur Prosperum loqui contra Cassianum, et solum docere initium salutis esse ex gratia, vel, si malit, ex sola gratia, et non ex libero arbitrio, eo ipso enervat omnia quæ postea late et sine fructu refert. Sed, ut res evidentius constet, non erit sine fructu, ut spero, singula referre et expendere, licet prolixiores videri cogamur.

Ex libro ergo contra Collatorem, qui in meo libro per capita non est divisus, circa principium, in § *Doctor Catholice*, etc., refert sequentia verba: *Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis plena concordia est; illi in omnibus justis hominum operibus libera voluntatis tuentur exordia; nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia; tu informe nescio quid tertium, et utriusque parti inconueniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquirereres, nec in nostrorum intelligentia permaneres.* Ex quibus verbis constat non posse nos in hac parte cum Cassiano sentire; nam ille non in omnibus hominibus vel operibus pietatis putabat initium esse ex solo libero arbitrio, sed in quibusdam; nos autem concursum illum liberi arbitrii, quem ad liberum consensum poni-



mus, non in quibusdam, sed in omnibus actibus, quantumvis supernaturales sint, necessarium esse putamus. Immerito ergo quoad hanc partem sententia nostra sententiæ Cassiani æquiparatur; nam, si id quod dicimus error est, multo peior seu generalior est errore Cassiani. Constat autem nec cum errore Pelagii habere commercium; nam Pelagius soli homini, et libero arbitrio tribuebat et initium et consensum in omne opus pietatis; nos autem in omnibus initium tribuimus soli Deo; consensum autem, seu (quod idem esse putamus) determinationem ad consensum, nec soli Deo, nec soli arbitrio, sed utriusque simul tribuimus. Quid vero contra hoc faciunt quæ Prosper subjungit, videamus.

*Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest potentis fides, querentis pietas, pulsantis instantia, præcipue cum ejusmodi et accipere, et invenire, et intrare dicantur. In quo superfluum, imo impium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum facere, ut non ex toto verum sit quod ait Dominus: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum.* In quibus verbis (ait ille) Prosper contra nos profert sententiam, quia illos appellat hæreticos, qui hominibus honorum operum ex semetipsis tribuunt primordia; et sunt plane hæretici qui de operibus pietatis hoc plane sentiunt. Sed quomodo hoc sentiunt qui initium talium operum in excitante gratia ponunt, nihilque in eis tribuunt libero arbitrio ex semetipso, sed ex gratia, et cum gratia Dei? Nullam ergo contra nos profert sententiam in verbis illis; quin potius in ultimis verbis illius paragraphi, eleganter sententiam nostram explanat et confirmat, necessitatem gratiæ explicando. Dixerat enim, si vera esset sententia Cassiani, non esse ex toto veram sententiam Domini: *Nemo potest venire ad me: Si* (inquit) *cujusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conversio, aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere, qui cum vocatum ad Filium trahit, non resistentem invitumque compellit.* Ecce solum requirit quod in omnibus præcedat illuminatio, et quod consensus voluntatis non sit sine Deo. Item tractionem ponit in vocatione, non in impetu (ut sic dicam) prædeterminante; at subjungit:

*Sed ex invito volentem facit.* Sed modum quo id explicat considera: *Et quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinatur, ut cor audientis obediendi in se delectatione generata, ibi surgat ubi premebatur, ibi discat ubi ignorabat, inde fidat unde diffidebat, inde velit unde nolebat. Etenim Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Quæ omnia eo tendunt, ut declarent antecedentem modum, quo Deus inclinatur et inducit voluntatem, eaque comprehendit David sub illo verbo: *Dominus dabit suavitatem.* Tota enim illa actio pertinet ad solum Deum, quia licet fiat per actus vitales, nondum tamen liberum arbitrium operatur. Quando vero jam ex hoc semine divino incipit fructus nasci, jam non solus Dominus operatur, sed terra nostra dat fructum suum, quamvis non sine Deo; incipit autem hic fructus in determinatione libera, vel potius in illa consistit.

Ex quibus constat omnia alia, quæ ex illo libro adducuntur, vel extra causam esse, vel nostræ sententiæ potius favere. Nam ea omnia quæ ex cap. 15, nomine Prosperi, referuntur, et habentur in § *Hæc enim Deo, vers. Ecclesiastica regula est*, etc., fere per columnam integram, sunt verba Cassiani, et ideo immerito adducuntur, quanquam (ut idem Prosper postea subjungit) non excederent Catholicum sensum, si auctor in eis constans permaneret; summa vero illorum est gratiam et libertatem non esse contraria, etiamsi gratiæ et initium, et profectus, et consummatio honorum operum tribuatur; pro qua veritate nos maxime pugnamus, et in ea constantes persistimus, quia non solum in Paulo, aut Matthæo, sed etiam in Zachæo et bono latrone, et in universum in omnibus hominibus, et piis operibus illam defendimus, quod Cassianus non faciebat, injuriam faciens gratiæ, ut ibi Prosper prosequitur. Hæc ergo extra causam adducuntur. Quæ vero postea citantur ex capit. 26, et habentur sub § *Nullo modo*, confirmant potius quæ diximus de modo efficaciam prævenientis gratiæ per vocationem congruam. Cum enim dixisset Prosper tam Græcos philosophos quam Romanos oratores sine fructu laborasse in inquisitione summi boni, quia ad noscendam veritatem semetipsis ducibus utebantur, statim subjungit verba quæ citantur: *Si ergo quis de ærumnosis vanitatibus et insaniis fallacibus erubescens, tenebras esse, et mortem quidquid pro lumine amplectebatur, intelligit, et ab his se conatur abstrahere, non est ab ipso, quamvis*

*non sine ipso sit, ista conversio, nec propria virtute ad principia salutis enititur.* In quibus verbis valde ponderanda sunt illa: *Non est ab ipso, quamvis non sit sine ipso;* cum enim negat esse ab ipso, non negat veram efficientiam liberi arbitrii in suam conversionem, quam profitetur cum dicit non esse sine ipso, sed negat initium vel præcipuam virtutem ad talem actum esse a libero arbitrio. Quod paulo superius his verbis clarius dixerat: *Bonam voluntatem, eam, scilicet, qua adheret Deo, non negandum est hominis esse propriam, et confitendum est Deo inspirante esse a Deo inspirante.* Quomodo autem hanc voluntatem inspiret seu operetur Deus, declarat inferius, dum sic prosequitur: *Sed agit hoc occulta et potens gratia Dei, quæ, dimotis terrenarum opinionum et operum mortuorum favillis, terrorem obruti cordis exagitat, et desiderio charitatis inflamat; non ut invitum hominem subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat, nec ut ignorantem trahat, sed ut intelligentem, sequentemque præcedat. Manens quippe liberum arbitrium, quod utique cum ipso homine Deus condidit, a vanitatibus et cupiditatibus suis, in quas neglecta lege Dei fluxerat, non a seipso, sed a creatore mutatur.* Quod ultimum verbum statim arripiunt adversarii, dicentes hanc mutationem non esse nisi determinationem ad unum, quam Deus physice in nobis facit sine nobis; sed non ita intellexit Prosper, qui et modum illius mutationis per gratias prævenientes, illuminationes, terrores et affectiones declaravit, et quoad hæc tantum negat habere hominem mutationem a seipso, nam quoad consummatam mutationem, quæ fit per consensum, jam dixerat non esse in homine sine ipso. Quod iterum repetit subjungens: *Ut quidquid in eo melius reficitur, nec sine illo sit, qui sanatur, nec nisi ab illo sit, qui medetur, cujus sumus nova creatura, novumque figmentum creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.*

In his ergo omnibus nihil aliud agit Prosper, nisi ut refellat illud initium gratiæ, quod in quibusdam ponebat Cassianus, et soli gratiæ illud tribuat, relinquendo semper voluntati liberæ determinationem cum adiutorio Dei. Et ad hoc ipsum tendunt quæ referuntur ex cap. 8, et alias habentur in § *Doces ergo*, quem ita concludit: *Cujus* (scilicet hominis lapsi) *salus prima est, ut sibi incipiat displicere, et vetustatem suæ debilitatis odisse; se-*

*quens vero est ut et sanari desideret, et a quo sananda sit, noverit. Quæ curationem ipsius sic præcedunt, ut ei, ab eo qui ægram sanaturus est, inserantur, ne cum ei ullo modo hæc inesse possint, merito videatur salvata, non gratia.*

Hoc ergo est quod in toto illo opere conatur, nimirum, ut excludat a nobis tale initium, in quo meritum totius gratiæ fundari possit.

Atque hoc ipsum est quod idem Prosper, in epistol. ad Ruffinum, statim in principio, proponit, si tale initium in libero arbitrio admittatur, gratiam destrui: *Quia si meritis redditur, et non ipsa est bonorum creatrix, frustra gratiam appellamus.* At quia dixit *bonorum creatrix*, expendit arguens nullo verbo aptius potuisse efficientiam physicam gratiæ explicare. Sed jam supra attigimus vulgatam expositionem verborum Pauli: *Creati in operibus bonis*, quod bona opera creari in nobis dicantur quia ex nullo merito fiunt, seu inchoantur; potuit ergo Prosper in eodem sensu loqui. Sed esto significetur illo verbo physica efficientia gratiæ, sicut revera est, numquid propterea significatur physica prædeterminationis? Non sane; nam illa duo, ut supra ostendi, diversa sunt et disparata, a quibus non fit illatio. Sed addunt ex eadem epistola paulo inferius aliud testimonium, cui aiunt nullum posse aliqua ratione, etiam apparenti, tergiversari. Cum enim dixisset Prosper ita esse intelligenda Scripturæ testimonia quæ libero arbitrio favent, ut non repugnent aliis, quæ docent gratiæ necessitatem, nam qui dixit: *Venite ad me*, indicans libertatem, dixit etiam: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit*, docens gratiæ necessitatem et similia, post hæc subjungit Prosper: *Quæ omnia cum sint incommutabilia, et nequeant ulla interpretatione in sensum alium detorqueri, quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generaverit; et cætera quæ in eadem sententiam prosequitur; quæ profecto eadem est cum præcedentibus. Generat enim Deus in nobis affectum credendi et obediendi, inspirando illum: et adjuvando ad illum. Quæ ergo tergiversatio necessaria est ut negemus inde sequi Deum etiam prædeterminare physice ad hujusmodi effectum, quando libere præstat? Nec difficiliora sunt quæ inferius ait, voluntati Dei neminem resistere, et ipsum corda mutare, et rigoris duritiem ad obediendi mollire effectum, etc., nam quomodo hoc Deus faciat, vel inchoando per gratiam excitantem, vel*



adjuvando per cooperantem, jam satis in aliis locis idem Prosper declaravit.

Denique afferuntur varia carmina ejusdem Prosperi, quæ late referre supervacaneum censeo, quia non amplius continent quam generalem doctrinam de gratia. Nam ex libro Epigrammaton affertur unum quod apud me est decimum, sub hoc titulo: *De quærendo Deo*; sed summa illius, ut ibidem etiam adnotatur, est, sic esse quærendum Deum, *ut non in se homo, sed in Domino gaudeat; nam a Deo illuminatur ejus ignorantia et corroboratur infirmitas, data sibi et intelligentia qua videat, et charitate qua serviat*. Quomodo posset etiam adduci Epigramma 23, quod est *De adjutorio Dei*, quod ita concludit: *Sanctus enim Sanctos facit, et de lumine lumen exoritur; nullus fit bonus absque Deo*. Et etiam optimum aliud *de Custodia Dei*, quod est 31, et aliud *de Adjutorio Dei*, quod est 32, quod ita incipit: *Celestem ad patriam tendens, cognosce vocantem, cujus proceheris, si bene curris, ope*. Simile est 34, *de Patientia fidelium*, et 45, *de Lege et Gratia*, et 46, *de Promissione Dei*, quod ita concludit: *Gratia nos reparat, gratia justificet, quæ sic in cunctis implet sua dona vocatis, ut quorum dux est fiat et ipsa comes*.

Denique ex libro de Ingratis, cap. 14, 15 et 16 (seu ante medium libri, ubi non est divisio capitum), plura similia referuntur, solum quia in eis dicitur gratiam non consistere tantum in lege et doctrina, sed in interna motione, qua Deus mutat mentem et novum vas fingit virtute creandi; quia neque qui plantat vel rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Ex quibus et similibus arguens, infert Deum convertere animam et gratiam creare, nulla supposita dispositione subjecti, quæ ab ipsa natura sumatur. Quod recte dictum est. Addit vero ulterius quod sicut Deus, nullo præsupposito, ab initio cuncta creavit, ita non expectat voluntatis operationem aut liberi arbitrii consensum aliquem, qui virtute ipsius mentem præparet. Quæ verba, considerato scopo arguentis, magna indigent animadversione. Nam si loquamur de gratia prima auxiliante, de hac rectissime dicitur creari a Deo in nobis, nulla expectata dispositione vel naturæ, vel etiam gratiæ; quia sine libero consensu aut cooperatione in nobis fit. Et quoad hoc (ut supra dicebam) extenditur hic nomen creationis secundum quamdam proportionem, non secundum æqualitatem; quia constat illam actionem non esse propriam creationem, physice loquendo, cum

fiat in subjecto, et ex subjecto (quod commune etiam est gratiæ habituali), et cum physico concursu activo potentiarum animæ, quatenus talis gratia in actibus vitalibus consistit, ut supra dictum est. Sed quia de hac gratia non est nobiscum dissensio, non videtur hic sensus intentus; si ergo sermo sit de gratia sanctificante, sive formaliter, ut est gratia habitualis, sive dispositive, ut est supernaturalis actus liber, sic falsum est Deum non expectare voluntatis cooperationem aut liberi arbitrii consensum, ut gratiam creet, vel mentem præparet; quia, licet non expectet consensum aut præparationem per actum naturalem, expectat nihilominus liberi arbitrii influxum simul cum cooperante gratia. Nam Prosper, utendo nomine creationis, hunc concursum liberi arbitrii non excludit respectu talis gratiæ; quia (ut dixi) verbum creandi hic non sumitur secundum omnem proprietatem, sed secundum proportionem, et ideo, licet dicatur Deus creare hanc gratiam, quia supernaturaliter illam infundit, non tamen ita creat, quin respectu ipsius actus et dispositionis velit nos habere simul liberos cooperatores, relinquendo nobis potestatem impediendi talem creationem, et consequenter etiam respectu creationis habitus velit nos prius natura efficere cum ipso congruam subjecti præparationem, quia illa creatio talis est, ut non fiat nisi in subjecto moraliter disposito, quando subjectum talis dispositionis capax est.

Ultimo, nos uti solemus ejusdem Prosperi testimonio, lib. 2 de Vocatione gentium, c. 9, alias 26, quod arguens adducit, immerito tamen, quia in illo capite non tantum agit Prosper generaliter de necessitate et efficientia gratiæ, sed ex professo explicat modum quo gratia sola prius prævenit præparando voluntatem, et postea consummat opus cum ipsa voluntate. Et de priori sic inquit: *Gratia Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo*. Ubi octo ponit consideranda verba, ex quibus priora quatuor ad externam gratiam pertinere videntur, quam non videtur omnino negasse Pelagius; quatuor vero posteriora pertinent ad gratiam internam, sine cujus efficacitate omnia illa externa invalida essent. Per omnem autem illam gratiam, tam externam quam internam, non prædeter-

minatur physice voluntas, ut jam etiam adversarii admittunt. Præter hanc autem gratiam externam et internam, nullam aliam agnoscit Prosper quæ a solo Deo fiat, et in actuali motione et impulsu voluntatis consistat. Unde immediate subjungit: *Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata prædictis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatione, si proficit*. In quam sententiam multa in eo capite prosequitur, in qua in toto illo opere constans est, et in aliis, præsertim in lib. Ad objectiones Gallorum, cap. 6, ut retuli lib. 3 de Auxiliis, cap. 13.

Secundo, principaliter citantur pro contraria sententia multa et integra capita Fulgentii, lib. 1 ad Monimum, cap. 14; et Epist. 2 ad Gallam, de Statu viduali, cap. 20, et Epist. 4 ad Probam, de Oratione, cap. 3, et Epist. 6 ad Theodorum, de Conversione, cap. 6, 7 et 8; et lib. de Incarnatione et gratia, cap. 17 et sequentibus. Et eodem modo posset referri tota epist. 3, et tota doctrina Fulgentii de hac materia. Nihil enim in omnibus his locis invenio vel responsione dignum, vel quod speciali animadversione aut consideratione indigeat. Solum enim tradit communia principia de gratia præveniente et adjuvante, et quod natura non prævenit gratiam, sed ab illa prævenitur per inspirationes, illuminationes, et cui subinde voluntas ipsa in libero consensu seu determinatione cooperatur. Nihil ergo in doctrina Fulgentii reperitur diversum ab eo quod Prosper et Augustinus docuerunt; immerito ergo post quædam ex dictis testimoniis Fulgentii sic in nos invehitur arguens: *Caveant igitur adversæ sententiæ assertores, ne quod Dei donum et gratia est sibi tribuant, et non in Domino, sed in se ipsis gloriantur, dum sibi partem et Deo partem suæ justificationis ascribunt*. Omnia namque donat et facit in nobis, Deus incipit, perficit, et perseverantia donum continuat. Quid enim, quæso, est partem sibi tribuere? Aut enim intelligit de parte effectus quam sibi quisquam tribuat, tanquam sine adjutorio gratiæ illam operanti, et ad impugnandum hunc blasphemum sensum non oportet inducere generalia verba Fulgentii, sed aperta Scripturæ testimonia, et expressas conciliorum definitiones congerere. De hoc autem errore cavendo superflue admonet eos qui nunquam de illo cogitarunt,

ut supra a nobis ostensum est. Si autem loquitur de parte causalitatis (ut sic dicam), sentiatque tribuere libero arbitrio suum influxum in illos actus supernaturales, qui sunt Dei dona, et justificationem suo modo conferunt, esse sibi aliquid tribuere quod verum non est, et in se ac non in Domino gloriari, magnus error est. Sic enim quod subdit: *Omnia Deus donat, et facit in nobis*, intelligendum erit facere sine nobis. Et quod subjungit: *Deus incipit, et perficit*, eodem modo intelligendum erit, ita ut sicut solus incipit, ita solus perficiat. Quæ omnia ita sunt absurda, ut non potuerint esse a vero Catholico intenta. Est autem vana tota illa admonitio et tacita argumentatio, si hæc omnia falsa esse credantur. Nam qui suo libero arbitrio tribuit verum et realem influxum in actum supernaturalem, non in se, sed in Domino gloriatur; quia simul intelligit illum suum influxum habere originem a præveniente gratia, et adjutorium a cooperante, sine quibus esse non posset; et totus ille actus vere dicitur Dei donum quamvis simul sit opus hominis. Omitto alia quæ ille arguens nobis attribuit, ut testimonia Fulgentii aliquid contra nos agere videantur: quale est, hominem cum sola motione ex parte objecti facere bonum voluntatis motum sine gratia, et talem motum ad quem infallibiliter sequitur gratia justificans; hæc enim et similia falso nobis imponi, late supra ostensum est.

*Gregorius*. — Tertio loco citatur Gregorius, homil. 33 in Evangelia, solum quia, de Christo et Magdalena loquens, dicit: *Ipsæ per misericordiam attraxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris*. Quasi vero hæc tractio necessario sit physica prædeterminatio, et non potius congrua et efficax vocatio. Item adducitur Gregorius, lib. 3 in cap. 7 libri 1 Regum, circa illa verba: *Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit illum inter Masphat et Sem, et vocavit nomen ejus, lapis adjutorii*, solum quia Gregorius addit, hunc lapidem significare Christum, meritoque lapidem adjutorii vocari, quia omne, quod a nobis in omni vita nostra prosperum geritur, ejus gratiæ ascribitur; et quia, si nobis subvenire noluerit, vinci possumus, vincere nequimus. Quæ quidem eleganter dicta sunt, sed quid ad causam? Multaque ex eodem Gregorio referuntur, lib. 17 Moral., c. 10, alias 11 et 12. Quem locum ego pro nostra sententia retuli, nec immerito, nam ibi docet quidem Gregorius gratiæ necessitatem, sed ita illam explicat: *Quia su-*